Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36521
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



cia tua sic gurgites maris. Hec & his similia multa scripta sunt testantia quietum dilecti desiderium. caritatem inpassibilis. non passionem sed delectationem. quam semper optauit. semper cupiuit. id quod esset utile creature sue humano generi. Quod si umquam aliquid recte dicitur optasse uel desiderare. quantomagis illud in quo est summa salutis. istam plenitudinem temporis in quo fieret ex muliere. fieret sub lege. ut eos qui sub lege erant redimeret. ut ad optionem filiorum reciperent. Igitur hec uerba dilecti loquentis mihi. surge propera amica mea. columba mea formosa & ueni. & cetera sic accipite quasi uerba desiderantis. tamquam festinantis. & optantis iam adesse materiam tante salutis. scilicet mee cuius caro illi materia foret assumende carnis. Tamquam presenti loquebatur mihi. meque iubebat surgere & preparare. id est nasci. & hospicium uentris mei cito sibi preparare. & reuera priusquam nasceretur presens illi aderam. ante quam fierem bene illi cognita fueram. Si enim dicitis & uere dicitis. quia elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in caritate. nunc & deinde recte sentitis. & recte sentiendo dicetis. quia elegit me ante mundi constitutionem. ut essem sancta & immaculata in conspectu eius in caritate. Et si sapientia ut testatur iam ante quam quicquam fieret ludens erat coram eo in orbe terrarum. & delicie eius cum filiis hominum. quantomagis ludens erat & deliciabatur cum ancilla ista domini. miraculo cunctorum filiorum uel filiarum hominum. Surge